

I. N. 7.

23

**THESES  
HEBRÆO-PHILOLO-  
GICÆ,**

QUAS,

*Consentiente Ampl. Senat. Philos. in Reg. Acad. Aboënsi;*

**PRÆSIDE**

*CELEBERRIMO VIRO,*

**D<sup>N</sup>. CAROLO ABRAH.  
CLEWBERG,**

*L. L. O. O. & Græc. PROFESS. Reg. & Ord.*

**Pro GRADU,**

*Publice examinandas sistit*

**STIPENDIARIUS REGIUS,**

**GABRIEL NYLANDER,**


*SMOLANDUS,*

**Die XVII Julii, Anni MDCCLIV.**


*Loco horisque ante meridiem solitis.*

**ABOÆ, Impressit Direct. & Typogr. Reg mag. Duc. Finland,**

**JACOB MERCKELL.**



THESIS, I.



Uamvis Theodoretus, Georgius Amira, Kircherus, pro Lingvæ Syriacæ antiquitate decertent: Myricæus, Campanella, aliique pro Chaldaica; pro Græca Euty chius, P. Eri ci, Hardtius: Goropius Becanus pro Flandrica, Ant. Ricciardus pro Jutica, & pro Sinica Joh. Webbius Anglus; nos tamen omnium Lingvarum Primam Hebræam, eamque in confusione Babelica non intercidisse statuimus.

*THES. II.*

**Q**uemadmodum Paraphrastis Chaldæis & Judæis quoque non sine ratione eadem Lingva Sancta audit: ita & certo respectu laudem sanctitatis illi recte tribuere Christianos, arbitramur. Quæ vero, præ-ludente Wowerio, adfert Clericus, ut Sanctitati L. Hebrææ detrahat, non tanti putamus esse, ut nos a sententia nostra dimoveant.

*THES. III.*

**V**ocabula exotica, in Cod. Hebræo, non magis officiunt puritati & simplicitati Lingvæ, quam radices a cognatis orientalibus interdum repetendæ. Sic & mirari convenit, a Mose ad Malachiam usque, per mille & quod excurrit annos, incorruptam lingvæ hujus puritatem mansisse, ut in utriusque scriptis idem regnare deprehendatur Hebraismi stylus: cum ex adverso lingvæ ceteræ singulis fere seculis mutantur insigniter.



THES. IV.

**I**N vocibus singulis, ut & in constructionibus integris, conspicuam esse singularem Hebr. Lingvæ svavitatem ac elegantiam, quin & figuris ornata oratione gaudere eandem, adferimus. Clerico proinde assensum præbere minime possumus, qui in censum lingvarum cultiorum illam venire negat (a), Aben Efræ suffultus auctoritate, affirmantis, Legem esse scriptam בלשון בני אדם

(a) *Comment. ad Gen. C. VI: 6.*

THES. V.

**N**Eque recte eundem Clericum colligere censemus, cum in dissert. de L. Hebr. §. 6. a paucitate vocum in Codice H. V. T. superstitum, ad inopiam Lingvæ in universum concludit. Ejus enim, quanta olim fuerit ubertas, in flore suo constitutæ, cum magna Synonymorum in reliquiis Biblicalis copia prodit, tum litterarum radicalium combinationes variæ, unde duodecim millia radicum trilitterarum possibilia computarunt eruditi.

THES. VI.

*THES. VI.*

**V**Ocum punctatio regularis, Syllabarum æqualitas, accentus, formarum in nominibus regularitas, phrasēs sublimes & emphaticæ, paucis verbis multa comprehendentes, nec aliis lingvis imitabiles, quin & alia plurima, Lingvæ Hebrææ perfectionem evincunt.

*THES. VII.*

**H**Uic autem cave credas, obesse Ellipses aut Pleonasmos, lingvæ potius elegantiam & emphasin concilians. Neque obfistunt defectus eruditis observati, non ipsi Lingvæ, sed ignorantia nostræ aliisque causis tribuendi. Iis enim partim dudum obviam iverunt, qui præcepta hujus lingvæ e recentioribus tradiderunt: partim adhuc eodem magis magisque imminutum iri speramus.

*THES. VIII.*

**F**Rustra proinde Spinoza, Clericus, alique perfectionem L. H. eo nomine impugnant, quod plures una eademque vox admittat significatus. Præterquam enim quod ipse

ipse contextus ad veram vocis significationem eruendam, multum habeat momenti, non destituuntur aliæ lingvæ omnes vocibus πολυσήμοις, nec tamen hoc ipsis vitio vertitur.

*THES. IX.*

**H**Uic incommodo tollendo non infeliciter adhibetur in primitivis significatio formalis & originaria, unde reliquæ facili negotio deduci possunt & memoria retineri felicius. Cui autem indagandæ inserviunt Lingvæ orientis reliquæ, Hebrææ affines & imprimis ceteras divitiis antecedens Lingva Arabica.

*THES. X.*

**V**Ocabulorum in L. H. numerus exiguus, constructiones naturales, & alia multa facilem esse eandem evincunt, quin & ipsa quotidie probat experientia.

*THES. XI.*

**Q**Uamvis in singulis fere scientiis appareat utilitas L. Sanctæ, ut evictum dedere Pfeifferus, Lœscherus, Cawtonus, alii-  
que:



que: in Theologia tamen imprimis, tam Polemica & Homiletica, quam Exegetica & Thetica usum præstat insignem. In antiquitatibus, Philologia, ut & L. Græca N. Testamenti, nec non profanorum Græciæ scriptorum, lucis quoque non parum affundit L. Hebræa.

*THES. XII.*

**H**inc igitur tuto colligitur, Lingvam Hebræam Theologis & Philologis summo-  
pere esse necessariam. Quod qui negaverint, erunt fere e numero ignaviorum, qui solas S:æ S:æ versiones sibi sufficere stolide putant.

*THES. XIII.*

**P**rimis parentibus concreatam Lingvam Hebræam, non iis modo, verum & posteris eorum omnibus, fuisse naturalem, qui statuunt, experientia reclamante id adferi sciant.

*THES. XIV.*

**Q**uibus temporibus summum florem attingit

git Lingva Sancta, eam omnium vel dialecto-  
rum vel variationum fuisse expertem, mi-  
nime credendum.

*THES. XV.*

**P**opulo Judaico, e captivitate Babelonica  
reduci, qui Neh. VIII: v. 7, 8. legem  
prælectam exposuisse dicuntur, Levitæ, ver-  
ba legis plebi, lingvæ Hebraicæ non igna-  
ræ, bene intellecta, ex Scriptura Sacra  
ulterius illustrasse censemus.

S. D. G.

